

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. XX. De vena cava inferiore eiusque radicibus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622

borum vertebram in venæ cavæ truncum inferiorem coëunt. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. lit. Σ . de *Hallericon*. anat. fasc. III. tab. VI.

§. VI.

SACRA.

Ex membrana os sacrum investiente per multæ radiculæ venosæ ad venam sacram producendam concurrunt. Hæc arteriam eiusdem nominis comitans, atque in interna ossis sacri superficie ascendens, ipsi plerumque iliacarum primitivarum concursui, interdum vero venæ iliacæ primitivæ sinistrae inseritur.

CAP. XX.

De vena cava inferiore eiusque radicibus.

§. I.

Vena cava inferior.

Vena cava inferior a primitivarum iliicarum bifurcatione, ad quintam lumborum vertebram accidente, oriens, atque ad dextrum aortæ latus ascendens, receptis in itinere pluribus venis, tendinosam diaphragmatis partem penetrat, atque dextræ cordis auriculæ inseritur, ibique valvula *Eustachii* munitur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. n. II. lit. Φ . & *Memoires de l'Academie Royale des Science* année 1717. p. 272.

§. II.

Diaphragmaticæ, vel phrenicæ, inferiores, dextra atque sinistra ex multis septi transversi radiculis venosis, in inferiore eius parte maxime conspicuis, radiculis a pericardio atque renibus succenturiatis assumtis, exortæ, in cavam inferiorem abeunt. Earum dextra inferiorem, sinistra superiorem diaphragmatis partem magis occupant. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. lit. X.

§. III.

Multæ radiculæ hepatis venosæ, capsula Glissonii haud vestitæ, atque cum venæ portarum & arteriæ hepaticæ ramulis in acinis biliariis anastomoses facientes, plerumque in tres, interdum in duas vel tres, radices maiores, nonnullasque minores hepaticas, valvulis semilunaribus præditas, collectæ, in venam cavam, hepatis substantiæ, inter lobum maiorem ac minimum Spigelii, sese quodammodo immittentem, penetrant. Quandoque etiam istarum una vel altera peculiare septi transversi foramen transiens, supra hoc venam cavam ingreditur.

§. IIII.

Canalis venosus, in fetu obvius, in adultis in ligamentum mutatus, ex sinu venæ portarum e regione venæ umbilicalis oriens, atque in principio suo valvula munitus, venæ cavæ iam ex hepate emergenti immittitur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXVII. fig. I. *Andr. Vesalius* operum anat. p. CCCXXI.

L. Heisteri comp. anat. tab. III. *J. B. Morgagni* epist. anat. I. art. LXXIII.

§. V.

*Vena re-
nales, &
ureterica.*

Permultæ renum radiculæ venosæ in ra-
dices maiores colliguntur, quæ, ex con-
cava illorum superficie egressæ, venam
emulgentem utramque, nimirum dextram
breviorem & paullulum obliquam, ac fini-
stram longiorem, horizontali situ gauden-
tem, & capsularem plerumque etiam sper-
maticam sui lateris recipientem, consti-
tuunt, quæ dein, una cum capsulari dex-
tra, in venam cavam abeunt. *Vena capsu-
laris* atque adiposa dextra emulgenti dex-
træ immittuntur. Adiposa sinistra inter-
dum in spermaticam sinistram vel venam
sine pari sanguinem suum defert. Venæ re-
nales rarius, quam arteriæ, duplices inve-
niuntur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV.
n. II. lit. Δ. *De Haller* icon. anat. fasc. III.
tab. VI. *Venæ ureterica* renalibus, sperma-
ticis atque hypogastricis inseruntur.

§. VI.

*Vena sper-
matica.*

Venæ spermatica in sexu potiori a testi-
bus atque epididymidibus venientes, arte-
riisque spermaticis obviam euntes, plures
ramos, inter se implicitos, atque anasto-
mosi iunctos, seu corpus pampiniforme,
pyramidale, producentes, per annulum in
abdomen penetrant, in ascensu suo plures
radiculas a peritoneo, quadrato lumborum
musculo, & mesenterio accipiunt, & dein
dextra, raro etiam *sinistra*, emulgentem

sinistram ut plurimum adiens, a vena cava recipitur. In sexu sequiore ab utero atque ovariiis venientes simili modo emulgenti sinistrae ac cavæ immittuntur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XII. fig. I. & tab. anat. XIII. *L. Heisteri* comp. anat. tab. VI. fig. XXV. Si duæ in uno latere venæ spermaticæ adfunt, in corpore pampiniformi quidem confunduntur, sed in unum truncum cito confluere, vel parallelæ incedere, solent.

Obs. Dextram spermaticam in emulgentem dextram abire, semel, *sinistram* venam sine pari petere, aliquoties *A. de Haller* vidit. In muliere duas venas spermaticas sinistras a corpore pampiniformi surgentes in emulgentem *sinistram* abire *J. B. Morgagnus* observavit. Vid. *I. V. de sedibus & causis morborum per anatomen detectis* epist. LXX. art. IX.

§. VII.

Ex venosis vertebrarum, musculorum *Lumbo-* abdominis, dorsi, psoas, quadratorum lum- *rum venæ,* borum atque iliacorum radiculis *venæ lum-* *borum* coalescentes, atque anastomoses cum canalis spinosi sinibus, inter se & cum oppositi lateris venis nectentes, binæ trunculo communi in utroque latere, vel trunco utrinque communi, ad primam lumborum vertebam, seu ad venas iliacas, venæ cavæ coniunguntur. Primam tamen atque secundam lumborum venam haud raro vena azygos recipit. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXVI.

CAP. XXI.

De venæ portarum radicibus, trunco,
sinu atque ramis.

§. I.

Vena sple-
nica.

Vena splenica, rarius duplex, nonnullis
radicibus ex liene proveniens, & sub
pancreate ac duodeno, transversim ad dex-
tram lata, cum venæ portarum trunco com-
mittitur. In procurfu suo venas breves,
epiploicam finistram, gastro-epiploicam
finistram, pancreaticam atque hæmorrhoida-
lem internam recipit. Vid. *B. Eustachii* tab.
anat. XXVII. fig. II. lit. k. *Frid. Ruyschii* epist.
anat. p. X. tab. III. fig. I.

§. II.

Vasa bre-
via.

Maioris extremitatis ventriculi venulæ,
cum coronaria stomachica atque gastrica
finistra anastomoses facientes, in duas tresve
radices venosas, ad exteriores ventriculi
membranas pertinentes, veteribus vasa *bre-
via* dictas, colliguntur, quæ in postremam
venæ splenicæ radicem, ex liene provenien-
tem, abeunt. Vid. *B. Eustachii* tab. anat.
citata, & *J. B. Morgagni* l. III. de sedibus
& causis morb. per anat. detectis, cap.
XXXVI. art. XII.

§. III.

Epiploica
sinistra.

Ex omenti & coli radiculis venosis,
cum hæmorrhoidali interna connexis, vena